



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

V. Aduersus Lutheri sediciosum, & calumniosum contra Illust. Saxoniae
ducem Georgium editum librum, Defensio abbreviata per Io. Cochlaeum,
scripta Dresdae Anno. 1534.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

56

MISCELLANEO

RVM LIBRI PRIMI TR. A.

Ætatis Quintus.

EX DEFENSIONE DVCIS GEOR
gij Teuthonica per Io. Cochleum, Aduersus Lutheri
seditiosum & Calumniosum librum.

EX GERMANICO IN LATI
num, De uerbo ad uerbum traducta
quædam particula.



AMPLIUS SCRIBIT LV
therus, sic dicens, Ita oportet Mundū
Euangelio hoc Ignominæ pallium
induere, ut semper criminetur illud
haud aliter quàm seditiosum, in obe
diens & repugnans.

Ad hoc dico, Id fecisse quidem Paganicum aut Iudaicum
mundū. Mundum uero Christianū didicisse à Christo aut
eius Apostolis, Euangelium in summo habere honore, uel
ut bonum nuncium Gratia dei, quod pauperibus spiri
tu annunciatur, uelut uirtutem dei quam non erubescit
Paulus: uelut uerbum uitæ, De quo per Esaiam ait do
minus. Quomodo descendit Imber & nix de cælo & il
luc ultra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit es
am, & germinare eam facit, & dat semen ferenti, & pa
nem comedenti: sic erit uerbum meum quod egre
dicitur

Quantus de
betur Euang
gelio honore
Math. 11.
Ro. 7.
Esa. 55.

Defensio Ducis Georgij

dicitur de ore meo. Non reuertetur ad me in vacuum, sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Honoramus præterea illud, uelut nouum & æternum Testamentum, uelut legem charitatis & pacis, uelut doctrinã omnis discipline & uirtutis. Quapropter et audimus & pronunciamus illud religiosa cum honorificentia in Ecclesia, nudato stantem capite, Atq; etiam in Iudicijs proponimus illud iuraturis hominibus, uelut scripturam & testimonium ueritatis, per quod sane admonitos eos uolumus, ut nihil aliud quàm puram dicant ueritatem.

Abusio E
uangelij.

Quod autem Lutherus Euangelium in doctrina deprauat, & in operibus eo ad inobedientiam omnemq; nequiciã abutitur, ac merum Latrocinij scriptum mendaciorumq; librum ex eo facit, hoc nobis merito dolet, Quia blasphemia est & crimen lese Maiestatis diuinæ diuiniq; nominis, per quod Euangelium nostrum & apud Iudæos ac Turcas male audit contemptuq; habetur, & apud carnales homines cunctis sceleribus, uelut nequiciæ uelamen & pallium, prætextit. Vnde fit, ut nos hic summa cū ueritate possimus Luthero eiusq; adiutoribus, complicibus, & Suermeris eum recitare textum, quem ipse ante annos Octo seditiosis recitandum præscripsit Agricolis, Per quem sane ipse rursus proprio condemnetur iudicio, et suo ipsius gladio iuguletur superbus & audax Goliath iste incircumcissus. In hæc scilicet uerba.

Tit. 3.
1. Reg. 17.
Luth. pro
prio gladio
iugulatur.
Matth. 22.

Triplicia peccata perq; horrenda imponunt sibi homines isti, quibus mortem & corporis aut animæ merentur multipliciter, Primum, q; Superioribus suis fidelitatem iurauerunt, & iureiurando promiserunt subiectionem & obedientiam, Quemadmodum præcipit Deus, ubi ait, Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Et Ro. 13. Vnusquisq; superioribus obediens

obediens esto, &c. Deinde, quod seditiones excitant, de-
 prædantur ac diripiunt friuole Monasteria, quæ ad eos non
 pertinent. Per quod sane uelut publici uiarum prædones &
 latrones, uel dupliciter mortem tum corporis tum animæ
 demeruerunt. Tertio, quod terribilia & horrenda scelera
 ista obtegunt Euangelio, nominantes se Christianos fra-
 tres, recipientes iuramenta aut homagia, atq; cogentes ui-
 alios, ut secum huiusmodi scelerum participes fiant. Per quod
 sane omnium maximi blasphematores & uiolatores Diui-
 ni nominis fiunt, honorem in hoc deferentes & seruientes
 Diabolo, sub prætextu Euangelij, Qua in re uel decies mor-
 tem & corporis & animæ merentur, ut horrendius pecca-
 tum ego nunquam uiderim &c.

Pro cunctis hisce sceleribus, quibus iam pridem dignus
 morte Lutherus factus est, uult sanguinarius iste furcifer &
 laudari & gratiarum actione dignus haberi, dicens.

Ergo, si qua gratia de maledicto & nefario mun-
 do promerenda esset, & ego Doctor Martinus alias
 nihil boni docuissem aut fecissem, nisi quod sæculari
 re Regimen & dominium sic illustraui ac decorauit,
 propter hanc unam tamen rem deberent mihi & gra-
 tias agere & fauorem exhibere. Quandoquidem om-
 nes pariter, etiam pessimi inimici mei bene sciunt,
 quod talis intellectus de sæculari dominio, sub Papa-
 tu, non solum sub scamno delituit, uerum etiam sub
 omnium foetidorum ac pediculosorum sacerdotum
 Monachorumq; & mendicorum pedibus, ipsum
 oportuit opprimi ac conculcari.

Ad hæc ita responderim, Etiã si inflatus iactator iste nihil

p aliud

Mendax iac-
 tantia.

Defensio Ducis Georgij

aliud mali aut docuisset aut fecisset, nisi quod seculare Regi-
men & Dominium, tam nequiter ac scelerate obscuravit
ac deturpavit, merito tamen iam pridem debebat in pulve-
rem redigi, Vsq; adeo longe abest, quod etiã pessimi inimici
ei eius bene sciant, quam egregie ipse illud illustraverit aut
decoraverit. Manifestum est enim, & negari non potest,
antequam cœperit scribere Lutherus, & seculare & Eccle-
siasticum Regimen atq; dominium, simul cum suis subditis
longe melius & habuerunt, & uixerunt ac gubernaverunt
quam postea in omnibus ciuitatibus & dominijs, ubicunq;
Lutheri doctrina admissa est, nullo penitus excepto. Quã
igitur ex fructibus cognoscatur arbor, & ex opere suo ipse
opifex, non opus est huic mendaci iactantiã multa reddere
uerba.

Verunq; Re-
gimen a Lus-
thero turba-
tum.

Non tamen per hæc negauerim, Lutherum aliquando
bonam quoq; doctrinam scripsisse, Totum uero permixtũ
est atq; infectum fermento seditioso, adeo ut omnino cre-
diderim, quod si bona eius de seculari dominatu dogma-
ta in altera contra mala expenderentur lance, mala longe ac
longe præponderatura esse bonis, quam longe molare saxũ
præponderat sacco plumis pleno. Quemadmodum ego
duobus in Capitulis Septicipitis Lutheri, nempe de obedi-
tia erga potestates & de legibus Imperialibus clare ostendi,
Verum Lutherus impudens & abnegatus Cucullifer, ni-
hil curat, & semper ulterius iactitat, dicens.

Cocleus in
Septicipite c.
13. & 14.

Talem enim gloriam & honorem ego (per Dei
gratiam) inde habeo, siue placeat siue displiceat Dia-
bolo & omnibus squammis eius, quod à temporis
bus usq; Apostolorum, Nullus doctorum aut scrip-
torum, nullus Theologorum aut Iurisperitorum,
tam

tam præclare & egregie, sæcularium statuum consci-
entias confirmauerit, instruxerit consolatusq; fuerit,
atq; ego feci, per singularem Dei gratiam, hoc certis-
sime scio.

RESPONSIO. Sapiens ait. Laudet te alienus & Prouer. 27/
non os tuum. Extraneus, & non labia tua. Ego profecto ab
eruditihominibus, qui Lutheri scripta legerunt, adhuc nus-
quam audiui, à quoquam hanc ei tribui gloriam. Ipse multo
adhuc plura iactitat, quæ foedissima sunt mendacia. Quare
millies certius & securius foret, Balaami A sinæ fidem habere
quam iactabundo mugientis huius Minotauri rictui.

Sic quoq; iactitat, Euangeliū suum lucidius atq; clarius
esse quam fuerit Euangeliū tempore Apostolorū, Itē Ger-
manos ante ipsum nunq; uerum habuisse Euāgeliū &c. At
eiusmodi iactantia usq; adeo & stolida & monstrosa, nusq;
reperitur apud antiquos & graues autores. Ego uero peni-
tus contrarium teneo, nō sane in despectum eius, sed ad Dei
& ueritatis honorem, quemadmodū in corde & coram deo
in consciētia mea teneo, Et dico, me omnino credere, quod
à tempore Iudæ Scariothis, nullus hominum peiorem ha-
buerit conscientiam quam Lutherus habet, nec ullū fuisse,
qui conscientias sæculariū potestatum aut foedius implicas-
uerit, aut grauius onerauerit, aut nequius seduxerit. Breuita-
tis autem gratia refero me ad duo supra dicta Septicipitis
Lutheri Capitula.

Merito igit̃ indicasset nobis, quinā librorū suorū tā præ-
clara pro sæcularium Principum ac potestatum conscien-
tijs proferat. Certe optimi ex eis (si modo ullus est inter om-
nes libros eius uere bonus) sunt hi duo, Vnus de decē præce-
ptis, alter de bonis operibus. At si arbor ex fructib. cognosci
debet

Luth. in Ser-
mo. de destru-
tione Hiero-
sufalem.

Hi duo libri
scripti sunt
anteq; aper-
te rebellauit
Luth. Anno
1519.

Defensio Ducis Georgij

debet, sicut Christus docet, Lutherus usq; adeo nullum profectū bonitatis inter Principes & Potestates ex utroq; libro comperit, ut eos postea longe magis quā antea, criminatus fuerit, maledixeritq; & coram Deo atq; hominibus reproba uerit atq; in infernū uelut Tyrannos protruserit. Quod autē eos longe post in uisitacione Saxonica iterum honorare iubet, id Magistro Philippo acceptum referre habet, qui id ipsum prius in Latina præscripserat uisitacione.

Liber iste æd-
ditus fuit an-
no domini
1527.

Forſitan eum sic iactitat librum suum, cuius Titulus est, De sæculari potestate, usq; adeo alte super omnes Doctores & scriptores. Quisquis autem illum perlegerit, inueniet nullum librum aut seditiosorem aut conscientiaæ sæcularis potestatis grauiorem esse posse. In eo enim continentur sequentes isti, & pleriq; alij (quos breuitatis gratia prætereo) teneri placidiq; articuli quos tam alte iactitat ipse.

DICTA LVTHERI, EX LI-
bro de Sæculari Potestate.

- I. **R**es supra modum stulta est, quando imperant, ut Ecclesiæ, Patribus, Concilijsq; credatur, etiam si nullum ibi sit uerbum Dei, Apostoli Satanæ talia imperant, non Ecclesia.
- II. At multo adhuc stultius est, quando dicit, quod Reges & Principes ac multitudo sic credunt.
- III. Sic tamen pergunt nunc Imperator noster & prudentes Principes, & eo se perducere sinunt à Papa, Episcopisq; & Sophistis, à cecis cecis, ut præcipiant subditis suis, credere absq; uerbo Dei, sicut ipsis placuerit, Et tamen Christiani (quod Deus auertat) Principes dici uolunt.

Cum

Cum igitur uniuscuiusq; conscientia incumbat, quomodo IIII.
do credat aut non credat, & in hoc nihil subtrahitur seculari
potestati, Debet ipsa quoq; pacifica esse, & suis intendere
rebus, & permittere, ut unusquisq; credat sic uel sic, sicut scit
& uult.

Verum si scire cupis, cur Deus permittat, saecularem potestatem
tam horrende impingere, Dicam tibi. Deus tradidit eos in reprobum
sensum, & uult cum ipsis facere finem, perinde atq; cum Ecclesiasticis
domicellis.

Seculares Domini deberent prouincias & homines gubernare
extrinsecus, hoc omittunt, Nihil amplius sciunt nisi exco-
riare & deglubere, Teloneum unum super aliud, Decimam unam
super aliam constituere, hic ursum, ibi lupum emittere.

Ad haec, nullam fidelitatem nec ullam ueritatem apud ipsos
locum habere sinunt, & agunt ea, quae uel raptores & nebulones
agere non deceret. Et saeculare ipsorum regimen tam profunde
iacet, quam iacet Ecclesiasticorum Tyrannorum regimen.

Quare & ipsorum sensus peruertit Deus, ut preposterè
gubernare incipiant, uolentes spiritualiter in animas sibi
uendicare imperium, Quemadmodum illi uolunt saeculariter
gubernare, ut confidenter imponant humeris suis peccata
aliena, Dei & cunctorum hominum odium, donec in-
tereant simul cum Episcopis, presbyteris & Monachis, ne-
bulo unus cum altero.

Quando igitur Princeps aut saecularis Potestas praecipit
tibi, ut cum Papa sentias, ut sic uel sic credas, Aut praecipit
tibi, ut libros abijcias, sic dicite Non conuenit Lucifero,
iuxta Deum sedere.

Dimitte modo furere fatuum, bene inueniet iudicem suum.

Defensio Ducis Georgij

um, Dico, n. tibi, si non contradixeris ei, & cesseris ei, ut uel fidem uel libros tibi eripiat, profecto Deum negasti.

XI. Tales enim Tyranni agunt, sicut debent Principes sæculares. Sæculares Principes existunt, Sæculum autē Deo inimicum est, Quare & ipsos facere oportet, quod sit Deo contrarium, sæculo placitum, Vt non fiant absq; honore, sed maneant Principes sæculares.

XII. Quapropter mirari non debes, si contra Euangeliū furūt & delirant. Oportet eos & titulo & nomini suo satisfacere,

XIII. Scire itaq; debes, q; ab initio Mundi admodum rara a; uis fuerit Princeps prudens, & adhuc multo rarior Princeps probus.

XIIII. Sunt frequenter uel maximi fatui uel nequissimi nebulones super terram.

XV. Quapropter omni tempore pessima quæq; de ipsis præsumenda sunt, & parum boni de ipsis expectandum est.

XVI. Nam perpauci sunt Principes, qui non habeantur aut pro fatuis aut pro nebulonibus. In causa est, q; & exhibent se tales, & communis populus sit intelligens, ac Principum plaga (quam deus Contemptum uocat) potenter ingruit in plebe et communi populo.

XVII. Non ferent, neq; possunt nec uolunt Tyrannidem perculantiã uestrã diutius perferre, ô Principes & domini, Scẽdũ hoc sciatis uos dirigere, deus nõ uult amplius habere.

XVIII. Non est nunc amplius talis mundus, qualis olim erat, quando uos homines uelut feras exagitabatis & uenabamini, Dimittite igitur uestram temeritatem & uim, & confydate, ut iure agatis.

XIX. Quod si multum gladij uibrationem exercueritis, uidete ne ueniat aliquis, qui uos gladium recondere iubeat non in Dei nomine.

At

At dixeris, si ergo Inter Christianos nullus sæcularis gladius esse debet, quomodo igitur extrinsecus gubernabuntur: Nam & inter Christianos Potestatem manere oportet. Responso. Inter Christianos nec debet nec potest ulla esse potestas, sed unusquisque alteri pariter subiectus est, Sicut Paulus ait Ro. 12. Unusquisque teneat alterum pro suo superiore.

Hi & id genus complures articuli (quos hic referre longum foret) sunt præclara & alte iactata doctrina illa, supra omnes Doctores & scriptores, à tempore usque Apostolorum, Quam Lutherus ad huius Electoris Saxonie Patrem scripsit, de qua sic gloriatur. Ego profecto non reciperem X. Milia aureorum, ut hunc in modum ad Duce[m] Georgium seditiose contra omnes Principes sæculares scriberem. Is enim adeo probus & honestus est, ut istud nequaquam permetteret. Esset enim horrendissimum scelus & Crimen lesæ Maiestatis, Tot Christianos Imperatores, Reges & Principes, qui & fuerunt & adhuc futurisunt, ita criminari ac condemnare. Neque tam simplex foret dominus meus Gratosus, ut non notaret aut inteligeret, se quoque simul tangi, Cum & ipse sit sæcularis potestas, Qui proinde serio dicturus esset ad me. O seditiose Nebulo & nequissime proditor, existimasne esse me uel proditorem uel hostem Cæsaris, omniumque aliorum Regum Principumque & Dominorum, ut omnes illos ausis sub protectione mea criminari, calumniari, damnare, ac populo exosos reddere, ad perdendum & penitus extirpandum eos per seditiones? An non & ego sæcularis sum Princeps? Nunquid ob id mox fatuus aut prauus nebulosus & non Christianus existam?

Immo uero non Lipsiam, non Dresdam, ne totum quidem Mundum acciperem, ut sub hoc Principe tales in lucem ederem.

At Paulus non ita habet, etiam iuxta Lutheri ipsius translationem.

Dux saxonie Georgius non admisit seditiosa scripta.

Defensio Ducis Georgij

ederem articulos, præsertim ipsius nomini nuncupatos, Quemadmodum Lutherus huius Electoris parenti fecit et inscripsit. Oporteret me profecto aut Albim epotare aut in puluerem exuri, etiam si doctior essem quàm uel Aristoteles uel Augustinus extitit.

Ro. 1.
Dist. 57. c. Er
ror.

Ne cæteri Principes possent ei exprobrare uulgare illud prouerbium, Consentiens est sicut faciens. Iuxta dictum Diui Pauli ad Romanos. Quoniam qui talia agunt, digni sũt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Quod et sanctus Papa Innocentius. i. ante Mille annos ita dixit. Negligere, cum possis perturbare, peruerso, nihil aliud est quàm fouere, Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Certe si Elector saxonix eo tempore seditiosa illa scripta Lutheri prohibuisset & suppressisset, possent adhuc hodie plerique seditiosorum rusticorum aut Suermerorum, qui occisi sunt, uiuere.

Lutherus uero non desistit à falsa gloriatione, & ait.

Quoniam neque Augustinus neque Ambrosius (qui tamẽ hac in re optimi sunt) mihi hic pares sunt. De hoc gloriator, & scio, huiusmodi gloriationem esse ueracem &c.

Ego uero multo certius scio, mendacem esse gloriationem istam, Quemadmodum Lutherus ex proprijs suis uerbis & scriptis, iam commemoratis, conuincitur. Si quis multa ipsius seditiosa scripta uidere cupit, is duo perlegat Capitula nostri septicipitis, ubi comperiet, Lutherum non solum concitare plebem in Principes, uerum etiam capere Iurisconsultos, & reprobare ius Ciuile, ac uelle, ut solũ secundum Euangelium & diuinam scripturam debeat gubernari

bernari. Quinetiam ausus est scribere, nō esse pulchrius Regimen sęculare quam Turcarum, qui tamen neq; Canonico neq; Ciuili iure utantur. Item, Omnes eos, qui leges hominum ad legem Dei superaddunt, esse certissime inimicos Dei & Apostolos Leuiathan & quicumq; eas acceptauerint & seruauerint, eos esse discipulos Leuiathan &c. Ego autem longe potius teneo, Lutherum longe magis Leuiathan quā Christiaut Pauli Apostolū et discipulum esse. De Leuiathan enim ait scriptura. Ipse est rex super omnes filios superbę. Christus uero ait, Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Et Paulus. Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Quanta uero sit humilitas, immo superexcellens superbia Lutheri, unusquisq; uir prudens facile considerat ex proprijs eius uerbis, dum proteruit, ferocit, inuehitur, conuiciatur, criminatur, maledictis & iniurijs afficit quoslibet alios, Seipsum uero impudentissimis & insauditis gloriacionibus laudat & extollit.

Luth. de Capriui. Baby. & ad Nobilitatē Germ. Luth. in lib. de cōfess. ad Fran. Luth. discipulus Leuiathan. Job. 41. Matth. 11.

Quando igitur ulterius ait. Admodum ridiculum & iocosum esse si Doctor Martinus arguatur seditiosus, quoniam assint libri, testes ipsius, prę manibus.

Ad hac ego ita responderim, Fieri quidem potest, quod inter septem huius Monachi Capita, hæc tria, nēpe Doctor Martinus & uisitator, non admodum seditiosis arguenda sint, Caterum alia quatuor Capita, nempe Lutherus, Ecclesiastes, Suermerus & Barrabas, usq; adeo plena sunt et hereseos & seditiosis, ut ebulliāt supra, De hoc refero me ad ipsorum libros & uerba propria, & in hoc exponam corpus & uitam, ad probandum id ipsum iudicialiter ex proprijs eius testibus. Quid uult amplius?

Quod si iam ualde ridiculū & iocosum est ipsi (Quemq; admodū

Defensio Ducis Georgij

Non fuit se admodum & in maxima seditione, posteaq̄ occisi fuerunt
dicioſis ioc9 Ruffici, ridebat & cum excucullata Moniali ſua nuptias ce
in prælio. lebrabat) nequaq̄ tamē ridiculum erat aut iocus ſuis Apoſ
ftolis & diſcipulis, Suermeris & Rufficis, quando Princi
pes & Liga Sueuica in eos ſagittas emittebant, equitantes
irruerant, in fossas & flumina adigebant, punctim caſimq̄
ferientes, atq̄ Lutheri nouas indulgentias ibi pmerebatur.

Sitiens ſan9
guinis Lu
therus.

Quod ſi ei, tanq̄ ſcleratiffimo & ſitiētiffimo ſanguinis Ca
ni, ridiculum eſt, & titillat eum uoluptas, quam ex tanta ca
lamitate ac damno (tanquam uerus Diaboli Apoſtoloſ &
hoſtis totius generis humani) accepit, Bonis tamen Chriſ
tianiſ neq̄ ridiculū neq̄ iocoſum eſt, quod unico huic ma
licioſo, petulanti, ſanguinarioq̄ Apoſtatae, tot ſeditioſi li
bri, permittuntur impune, tanquam Reuerendo deuoto ſi
deli delecto, Cuſus Parricidale cor nuſquam adhuc ſatia
tum eſt tantis calamitatibus & ſanguinis effuſionibus,
quæ intra XIII. aut XIII. annos per eius libros paſſim
ubique contigerunt, donec & ipſos Principes excitet &
contra ſe inuicem committat, unde uerum exurgat bellum
prouinciale, & propter damnatum ac maledictum Euan
gelium ipſius tota Germania (uti iam pridem comminatus
eſt) eat in ruina.

Adhuc tamen nō deſinit gloriari illotum os iſtud, donec
propediem gloriando rumpatur, & ait.

Hic ſtat factum & opus, quod ego in proxima ſe
ditione unus eram, qui contra ſeditionem docebam
& ſcribebam, antequam erumperet.

Primus pro
ruſticis liber
Lutheri.

Reſponſio. Ego ſupra indicaui XX. articuloſ ex uno
eius libello, qui clare conuincunt, mentiri hic Lutherum ac
falſo gloriari. Cuicumq̄ uero in hiſ ſatiſ factum nō eſt, iſ le
gat

gat primum eius libellum Rusticanum (ut seditiosa eius scri-
pta contra duo Mandata Imperialia & contra sacrum Cas-
nonem Missę taceam) et comperiet ibi, quod Lutherus non
solum plebem ad tumultuandum excitauit, uerum etiam tu-
multuantes Rusticos in proposita seditione contra Principes
pes & dominos cōfortauit. Quemadmodum ex subsequen-
tibus illius libelli articulis conijcere licet, ubi sic ait.

*DICTA LUTHERI SEDI-
tiosa pro Rusticis Contra Principes.*

Primum, nemini possum acceptum referre id tumultus
I. Luth. in esse
tus & seditionis quā uobis Principibus & dominis, hortatione
præsertim uobis cæcis Episcopis & stolidis presbyteris ac ad pacem
Monachis.

Quod adhuc hodie obstinati non cessatis insanire ac fur-
II.
rere contra sanctum Euangelium, tametsi sciatis, illud rectū
esse, neque reprobare possitis.

Præterea in sæculari regimine nihil amplius facitis, nisi
III.
quod excoriatis & exactionibus affligitis, ad sustinendam
pompa & petulantiam uestram, donec pauper & commu-
nis populus diutius perferre nec scit nec potest.

Gladius incumbit iam ceruicibus uestris, adhuc tñ pu-
IIIIL
tatis, uos tā firmiter in Sella sedere, quod non possitis enīci,

Talis securitas & obstinata præsumptio, fragit uobis col-
V.
lum, id uidebitis.

Ad hoc luctamini, & uultis in Caput feriri, hic nulla iu-
VI.
uat admonitio nec ulla exhortatio.

Quum igitur sitis Causa huiusmodi iræ Dei pro-
VII.
culdubio

Defensio Ducis Georgij.

cul dubio super uos quoque exhibet, si adhuc non emendaueris
tis uos cum tempore.

VIII. Ostenta in caelo et monstra super terram portendunt uo
bis, boni Domini, nihil boni significat uobis, neque boni quic
quam uobis continget.

IX. Hoc enim scire debetis, boni domini, Deus ita procurat,
quod neque possunt, neque uolunt neque debent Tyrannidem
uestram diutius tolerare.

X. Oportet uos alios fieri & irae dei cedere, Si non feceritis
per amicabilem & uoluntarium modum, Oportebit uos fa
cere per uiolentiam & exitiabilem deformitatem.

XI. Si non fecerint Rustici isti, alios facere oportebat, Et si
omnes profligaretis, adhuc tamen improfligati existunt,
Deus alios excitabat, Ipse enim uult profligare uos & profligabit uos.

XII. Non sunt Rustici, boni domini, qui sese uobis opponunt,
Deus ipse est qui se contra uos ponit, ad uisitandam uestram
Tyrannidem, &c.

Proditoria
practica Lu
theri.

An non sunt proditoria uerba haec uirulenti Principum
hostis? Quonam modo potuisset illo tempore magis pro
ditorie practicare? Existimo enim non esse perniciosiores
Regum ac Principum proditores ijs Capitaneis, qui occulte
tecum hostibus consentiunt. Et quando iam conferendae
sunt manus, ipsi per mendacia Dominum suum reddunt pu
sillanimum, & exercitum meticulosum, ne uiriliter pugnet,
aut omnino in fugam uertunt. Lutheri autem archipro
ditio adhuc multo peior erat, & longe maiora damna fec
cisset, nisi Deus singulari gratia & misericordia a sanguis
narij Parricidae proditorie Principes conseruasset.

Lutherus enim eiusmodi uerba in Publicum aedebat ge
neraliter

neraliter ad amicos & ad hostes, ad terrendum Principes simul cum populis suis (si enim credidissent ei, cum diceret, Deus ita procurat, qui uult profligare uos & profligabit uos, Non sunt Rustici, qui sese uobis opponunt, Deus ipse est &c. cor nimirum & animus concidisset eis ad pugnandum contra Deum) & ad confortandum per hæc Rusticos animososq; reddendos, tanquam esset ibi Deus pro ipsis & contra Principes. Deus enim uel per unum Angelum aut hominem multa Milia interficere potest, uti scriptura testatur.

Rex Saul erat profecto fortis & animosus Princeps (de 4. Reg. 19. quo Samuel ad omnem populum dixerat, Videtis quem 1. Reg. 14. elegerit dominus q; nullus ei similis est in toto populo, Et 1. Reg. 10. erat enim tam proceræ staturæ, ut ab humeris sursum emiseret super omnem populum) erat item bellicosus & uictoriosus in expeditionibus & prælijs Imperator, Vbi uero Samuel (à morte suscitatus) dixit ei Quid interrogas me, cum dominus recesserit à te, & transferit ad æmulum 1. Reg. 28. tuum; faciet enim tibi dominus sicut locutus est in manu mea, quia non obedisti uoci domini, neq; fecisti iram furoris eius in Amelech. Idcirco quod pateris, fecit tibi dominus hodie, & dabit dominus etiam Israel tecum in manus Philistijm, Cras autem tu & filij tui mecum eritis, sed & Castra Israel tradet dominus in manus Philistijm, Statimque Saul cecidit porrectus in terram, Extimuerat enim uerba Samuelis, & robar non erat in eo. Ita & hic conijcere licet, q; iste scripturæ peritus uoluerit Principes nostros simili modo terrere pusillanimesque ac imbecilles reddere, quando scribebat, Deum esse & contra ipsos & cum Rusticis &c.

Dicat de Thoma Muncero Lutherus, quicquid lubet,

q 3 Mortuus

Defensio Ducis Georgij

Lutherus se, Mortuus est ille, & de seditione doluit, confessus est iniquis
ditiosior $\bar{\phi}$ tatem suam & supplicium accepit. Ego uero decies malle
Muncerus. reperiri in altero seculo apud Muncerum quàm apud Luth
rum, si usq; ad mortem in scelere suo perseverauerit, Et ausim
pro ueste aliqua inire certamen cum quopiam, quod ego ex
Lutheri libris plura queam proferre dogmata seditiosa
quàm ille queat ex libris Munceri. Sed & istud omnino tes
neo, quod non fuisset factus seditiosus Muncerus, si non
prius scripisset seditiose Lutherus, Vt merito timere de
beat Lutherus, ne Muncerus & fistulator simul cum uniu
uersis turmis & complicibus suis, in extremo iudicio, cor
ram deo & omnibus Angelis eius, etiam coram toto Mun
do, uindictam aduersus eum clamaturi sint.

Et Lutherus (si non uult in pace & requie dimittere,
mortuos) merito hic parcere deberet Electori Saxonie
Domino suo, Cum satis constet, quod is Muncerum tor
terauerit in Alstet, & fistulatorem promouerit ac miserit in
Milhusen. Quemadmodum audire ipsum oportuit Aus
gustæ, à Clementi Domino meo Duce Georgio, quan
do ægre ferebat, quod Doctor Eckius seditionis argue
bat Lutherum. Sed & hoc constat, quod Dux Georgius
ante seditionem, fideliter admonuerit Electorem Saxonie,
Patruelem suum, ut à Muncero caueret sibi, ac rogauerit,
ut eum ab Alstet amoueret, Muncerus enim tunc similem
ludebat ludum cum ciuibus Domini mei in Sangerhusen,
qualem nunc ludit cum Lipsensibus Lutherus.

Mendaciss Quod autem deploratus Nugo gloriatur Casarem, Res
mus nugo gem, Principes, Episcopos, atq; adeo totum Imperium Ro
Lutherus. manum Augustæ confessos fuisse & confiteri oportuisse, q
Lutheri doctrina non sit seditiosa, sed maxime aduersus se
ditiones depugnet, hoc usq; adeo manifestum est mendaci
um,

um, ut nulla egeat redargutione, Cū Lutherus ipse tam uehementer & seditiose scripserit contra Comitiam illam in Teutonica sua admonitione, & in Glosa sua, atq; etiam in hoc ipso suo libello famoso. Constat item, Magistrum Philippum non Lutherum, & composuisse, & in lucem edidisse tū Confessionem tum Apologiam Lutheranorum, In quibus sane multo modestius scripsit quā scit aut solet Lutherus. Probe & hoc constat, q̄ in Recessu Augustensi repetitum renouatumq; ac denuo confirmatū fuerit Edictum Vormaciense, In quo clare habet, q̄ Lutherus nihil ferme aliud scribat, quod nō tendat ac seruiat ad seditiones ad schismata, ad bella, ad homicidia, ad depopulationes, ad incēdia, & ad omnimodam defectionem à fide Christiana. Ex his bene potest Lutherus uidere & audire (si modo habeat oculos ad uisendum & aures ad audiendum) immo palpare & tangere, si oculos & aures perdidit, q̄ gloriatio sua falsa, & os atq; cor eius mendacijs plenum est, adeo, ut pene nihil aliud quā mendacium sit ipse totus.

In consimili ueritate, immo manifesto mendacio iactitat sese stolidus & Suermerica hæc Cynomia, nequam Lutherus, q̄ ipse per suam doctrinam quater aut quinques melius contra seditiones pugnauerit, quā dux Georgius per gladium pugnare potuerit.

Quisquis autem supra recitatos eius articulos & libros recte inspexerit, is confestim intelliget, friuolum hunc Blateronem minus erubescere ad mentiendum quā ullus faciat mīmus aut histrio. Si enim Dux Georgius eo tempore non plus contra seditiosos Rusticos fecisset quā fecerunt Lutherus & Elector Saxonie, timendū certe fuisset, ne Rustici totā Saxoniam, Turigiamq; et Misniam deuastassent, prædisq; & incendijs grassaturi fuissent. Quare & hoc foedū est

Omni histri
one impudē
tior Luth.

Defensio Ducis Georgij

est & putidum mendacium eius, dum scribit, quod Dux
Georgius imputet ipsi confictam seditionis culpam, ex in-
uidia & odio, contra propriam conscientiam suam. Nam
ex supra commemoratis articulis uel simplex Rusticus cer-
tissime cognoscere potest, quod Lutherus seditio-
nis culpa non uacet, & quod merito plecti
debeat, iuxta tenorem proprij sui iu-
dicij, uelut teterrimus tumul-
tuator & seditiosus
Nebulo.

SCRIPTA DRESDAE

Mense Maio. 1534.